

46

gnomentum Antonino additur. Non potuit igitur ea erasio fieri nisi post annum CCX. Æræ Christianæ, quo Britannici appellationem assumpsit Caracalla, ut solide probavit Pagius ad annum Ch. CCIX. n. 11.: Imo nisi post annum CCXi. quo decessit Severus pater, quum inter omnes constet MAXIMI titulum, qui appellationi BRITANNICI jungitur, vivente patre Antonino tributum non fuisse, quæ omnia ipsemet eruditissimus Præsul docet, licet in Græcâ Inscriptione apud Reines. Cl. III. 36., quam tot eruditos Viros fugisse miror, Caracalla adhuc vivente patre *Parthicus Maximus* dicatur ΚΑΙ ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗΑΙΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ ΣΕΒΑΚΤΟΥ ΑΡΑΒΙΚΟΥ ΑΔΙΑΒΕΝΙΚΟΥ ΠΑΡΘΙΚΟΥ ΜΕΙΙΚΤΟΥ. Quum autem Plautianus occisus fuerit anno Æræ Ch. CCV. ut supputat longe accuratissimus Tillemontius, & ab eodem Fontanino statuitur, quis sibi persuadeat Plautiani nomen, non statim, ut decuit proditorum, qui eos Principes, quorum beneficio ad tantas opes, potentiamque pervenerat, occidere per summum scelus tentaverat, sed post integrum fere septennium, posteaquam in omnium ore, atque oculis tandiu fuerat, erasum fuisse? Ex eadem titulorum redundantia, quibus Antoninus supra patrem insignitur in veteri Inscriptione a Sponio primum Miscellan. Sect. VIII. p. 270. ex Suaresio, & a Gudio deinde p. XCIII. 3. ex Salmassii schedis editâ, manifesto Getæ nomen in eâ olim fuisse deheprenditur: non enim fieri potuit, ut in eadem Inscriptione Severus pater nude Plus PERTINAX AVGVSTVS diceretur: Caracalla vero filius Plus FELIX AVGVSTVS PARTHICVS MAXIMVS BRITANNICVS MAXIMVS PATER PATRIÆ. (*)

Inscriptio quoque dimidiata, & mendis fatiscens, quæ edita primum fuit a Reinesio Cl. I. 119., deinde vero ex Hortis Justinianis integrior a Fabretto, Inscr. Dom. Cap. X. n. 107., ac demum in Gudiana Collectione p. XLVII. 6. multo auctior prodiit, non minori violentiâ Plautiani, & Plautillæ nominibus suppletur. Ea sic habet:

FOR-

(*) Idem dixeris de alijs Inscriptionibus, quæ in Græcâ occurunt pag. XI. 5. XII. 1. CCLXIV. 5. in quibus omnibus Antoninus nimio plus vitæ afficitur.